Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 591
Quelle:
Copyright:

alicubi aliter facta fuerit, et in Codice: *ubi pictura cum muscii in parietate in imaginibus aut in velis* &c. restituendum putem: *pictura cum musivo, in pariete, in imaginibus aut in velis.* De *Aethico* vide, quae erudite notat *Joh. Aug. Ernestius* ad L. II. c. 8. *Biblioth. lat. Fabricii*, edit. *Lips.* 8. 1773. T. II. p. 81. Sequitur in Codice *Catalogus* Ὀνοματοποιος alphabeticus *Sonorum*, quos edunt diversa Animalia. Ita: *Apes ambizant vel bambizant. Aquilę clangunt. Anseres crinciunt vel trinnunt. Aues minuriunt vel uernicant. Accipitres pipant vel pipulant* &c. Multa nullo Veterum autore.

XI. *fol.* 92. *Incipit domini ambrosii de paradiso.* Initium: *Et Plantauit Deus paradisum in eden — De paradiso adoriendus sermo non mediocrem estum nobis uidetur incutere* &c. Finis: *metemus ea quę sunt spiritalia.* Extat Liber hic T. I. *Opp.* edit. *Maur. Paris.* 1686. *col.* 145. in *Capita* divisus, quocum tamen Exemplum praesens conferri mereretur; vel *prima* enim *pag.* legit *uix aliquis* pro *vir aliquis*, *quod viderit* pro *quod audierat*, *extolli* pro *extollere se*, *studendum est* pro *timendum est*, *sollicite indicare*, pro *sollicitius indagare*, *Non uilem igitur* pro *Non igitur hylen* &c.

XII. *fol.* 117. p. 2. *Disputacio de seruanda anime puritate.* Initium: *De Moralibus cottidianum sermonem habuimus cum uel patriarcharum gesta uel prouerbiorum legerentur precepta* &c. Fragmen est Liber *Ambrosiani de Mysteriis* T. II. *Opp.* edit. *cit. col.* 325. in illis c. 3. verbis: *Quid enim aliud in hoc cottidie sac* — — obticescens. Nota peculiarem Inscriptionem, quae *Maurianis* nullibi occurrisse videtur. Egregie tamen illi in *Praef.* T. II. observarunt, ex ingressu *suprac.* conjici posse *Ambrosium* etiam in *Proverbia* commentatum fuisse.

XIII. *fol.* 119. *De Salemone.* Incipit: *Solet queri de salemone an sit perditus. Quem reprobatum esse a deo testatur beatus augustinus* &c. Praeter hunc adducitur *Gregorius*, *Hieronymus* et *Ambrosius*, in cujus testimonio abrumpitur tractatio.

XIV. *fol.* 120. *In nomine Sancte trinitatis. Incipit tractatus Sancti ambrosii de penitentia. liber primus.* Initium: *Si virtutum finis est ille maximus qui plurimorum expectat profectum* &c. Mutilum Opus a L. I. c. 6. hisce verbis: *sed etiam misericordia copulaverit.* Extat integrum edit. *cit.* T. II. *col.* 389.

XV. *fol.* 125. *Incipit beatissimi ambrosii episcopi de misteriis.* Ut supra *n.* 12. Verum hic Liber integer, et, ut videtur, ex eodem sumtus Exemplo, quo superius Fragmen

XVI. *fol.* 133. absque primae manus inscriptione, sed notatus in margine *Sermo de Penitentia*, idem *Ambrosii* Tractatus de Poenitentia Libris II. constans, cujus Fragmentum mox *n.* 14. indicatum est. Videtur et hic ex eodem Exemplo descriptus, e quo

Fragmen-